

Duplicata
1799. 3

DE
VARIETATIBUS PILORUM
NATURALIBUS

E T
PRAETER NATURALIBUS,

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE
HALENSIS,

U T
GRADUM DOCTORIS MEDICI

LEGITIME ACQUIRAT,

DIE XVII. SEPTEMBRIS MDCCIC.

P U B L I C E D I S P U T A B I T

JOANNES FRIDERICUS PFAFF,
SILESIUS,
SOCIET. SYDENHAM. SODALIS.

HALAE,
TYPIS BATHEANIS.

ИУДОНИ СУНДАТНЕИ
СУДАЧИТЬИ

РУДОВСКИИ ИНСТИТУТ

СОЛДАТСКАЯ БИБЛИОТЕКА



SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO FERDINANDO,

PRINCIPI ASCANIAE,
EQUITI ORDINIS DE AQUILA RUBRA
LEGATO DUCIS EXERCITUUM BORUSS.
ETC. ETC.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

REVERENTIAE, PIETATIS ET GRATITUDINIS CAUSSA

VOVET
HOCCE COMMENTARIOLUM

A U C T O R,

PRINCIPALIA AC DOMINA
DOMINO
FRANCICO FERDINANDO

PIEMONTE AGRIGENTI
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO

PIEMONTE AGRIGENTI
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO

PIEMONTE AGRIGENTI
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO
ACQUAVIVA D'AGOSTINO

MUSICA ATHEMUM COMPOSITA

LEOTUS

PILO RUM VARI ETATIBUS
NATURALIBUS ET PRAETER NATURALIBUS,

ANALOGICA PILORUM PHYSIOLOGIA.

Per universum organicum naturae imperium corpuscula
ea filiformia, quae pilos nominamus, superficiem corporum
obtegunt, ut et simile aliiquid in mixtis corporibus occurrat,
dum nimur salium crystalli in superficie terrae et minera-
rum saepius spicula, setas aut pilos formant.

Ab his vero inorganicis filis longe diversi sunt plantarum pili, quippe qui vere nutritur ipsique secernunt quidquid de copia humorum vegetabilium abundante superest. Secretionem vero aut exhalationem in plantis omnino fieri

2

ope pilorum, hosque eo praeprimis fine constructos esse,
ut abundantiam humorum minuant, sequentibus eluet ar-
gumentis:

a. Quo juniores plantae, eo major pilorum copia in iis
conspicitur. Cotyledones et folia seminalia e. g. pinuum
ciliis et pilis hirsuta, seniora vero folia glaberrima.

b. In junioribus propaginibus surculisque, ubi plures
futurae plantae aut ramuli partes coarctantur, pilorum copia
provenit. Verno tempore id maxime observare licet, cum
arborum folia, quae alioquin glabra sunt, dum erumpunt,
pubescere soleant. Hinc itaque major et uberior humorum
adfluxus versus partes nutriendas abundantium humorum per
superficiem exhalationem producit, quae ope pilorum per-
ficitur. Ea vero aetas plantarum, quae robur partibus addit,
quaeque, absorptis aëris humoribus, radicem maxime fir-
mare conatur, pilis destituta, superficiem ostendit glabriorem,
in qua patent orificia telae cellulose ovalia, qualia praeprimis
in perennibus plantis observantur: eae enim radice firmiore
gaudent, quae foliis nutritur.

c. Apices pilorum in variis plantis in glandulas terminan-
tur, aut vesiculas humore proprio plantae repletas, quas
e. g. in Madia mellita, Nicotiana paniculata, Lythro Cuphea,
Oxybapho viscofo, aliisque suo potissimum odore, colore
et sapore praeditas observare poteris.

d. Denique dissectio subtilior plantarum docet, pilos
omnino cohaerere potius cum vaſis spiralibus adſendentibus,
quam cum utriculis telae cellularis. In variis enim pilis
plantarum CL. SPRENGELIUS noster luculenter vaſorum spi-

3

ralium adscensum confexit, ut itaque nullum superfit du-
biū, quin cum vasis adscendentibus cohaereant.

Varii etiam exstant pili plantarum colliculis insidentes
aut bulbis, quippe qui strigae nominantur aut pili acicu-
lares. Eas videre licet in Urticis, Echio, Centaurea, Cyano
et Boragine.

Hinc itaque valde taxandus esse SCHRANKIUS¹⁾ videtur,
quod geometricis potissimum argumentis, iisque falso intelle-
ctis, adductus, pilis vegetabilibus functionem inhalandi et ab-
sorbendi tribuerit, quippe quae nullibi demonstrari potest.
Longe alias etiam natura effinxit partes, quae absorptioni
eidem praesint, utriculos nimirum telae cellularis orificiis
suis extus patentibus. Haec tunc demum apparere in adul-
tioribus plantis solent, cum pili defluxerint.

3.

His praemonitis transeamus ad animalium capillos. Jū
fere omnes e radice quadam bulbosa oriuntur, quae intra
telam cellulosa latet. Bulbus is vel ovalis est, ut in capite
et pube hominum, vel magis rotundus in ciliis et superciliis,
accipit autem manifesto vase e cellulari tela, quae membra-
nam maxime ab interna parte bulbum vestientem perre-
ptant²⁾. Vasis iis laevis, dum evelluntur barbae pili aut
dum absinditur plica polonica, sanguis profundi potest, qui

A 2

1) SCHRANK über die Nebengefäße der Pflanzen. 8. Halle 1794.

2) WITROF in Comment. soc. Götting, vol. IV. pag. 371.

haudquaquam ex ipsis pilis prodit³⁾. Aperto primo involucro, alterum bulbum detegimus, seu membranam glandulosam, quam et ovale corpus **MALPIGHIVS** dicit⁴⁾.

In his involueris pili radix latet ita, ut in parte vaginae teneriore initium ejus sit; mollius id, qua in bulbo continetur⁵⁾. Ubi extra cutis superficiem prodit, vagina exterior pilam deserit, ex interiori vero bulbo fila cellulosa seu vesiculosum, quae pili initium intrarunt, eum etiam extra superficiem prominentem comitantur. Hinc in pili parte crassiore **CHIRACUS** vesicularum feriem vidit, similem corpori, quod in pennis avium observamus. Id vehendo succo nutritio pilorum aut medullae inservire videtur.

Etenim nutriri omnino pilos vel inde patet, quod crescere eosdem continuo videamus, ut ad quatuor pollicium longitudinem barbae capillos in anno uno crescere viderit **WITHOIUS**⁶⁾. Id incrementum ab advecto per vesiculos cum vasis bulbi cohaerentes succo nutritio oritur, unde ergo facile in eam opinionem descendes, pilos viventibus corporis partibus adnumerandos esse, quamvis nervis desitutis sensationem manifestam prodere nequeant.

3) **CHIRAC** sur les cheveux, in *Dissertations et consultations*, vol. II, p. 268.

4) **MALPIGHI** opp. posth. p. 93.

5) **WITHOIUS** l. c. p. 372.

6) L. c. p. 378.

A morte quoque crescere pilos, praefertim barbae, quamvis multi narrant, adeo dubium tamen est, ut nequam prius in explicando eo phaenomeno desudare possimus, quam factum ipsum luce meridiana clarius expositum fuerit. CHIRACUS conatur id ex fermentatione quadam post mortem contingente, qua humores in capillos attrahantur, expondere? HALLERUS vero melius arbitratur, ex retracta potius cute prolongatos capillos apparere?).

5.

Exterior vagina cornea et destrui nescia, quae pilos investit, ab epidermide orta, cum ipsa epidermide perit, siquidem in cutaneis morbis et exanthematibus, ubi epidermis perditum it, pili simul defluere solent. Ipse vero pilus, vagina inclusus, plurima complectitur fila, sibi parallela, cellulosa tela nexa, magnopere flexilia et succo nutritio ubique repleta.

Cur vero ea epidermidis productio tantam adipiscatur duritatem, ut cornea appareat, explicare nequimus, cum eos processus nondum noscamus, quibus obnoxius est succus lymphaticus nutritius. Scimus quidem oxygene aeris admisso materiem lymphae albuminofam in coagulum abire saepius satis durum, ut et calculorum adipisci duritatem possit. Aequumne itaque judicabitur, lympham pilos nutrientem, aeri atmosphaericо expositam, ab ejus principio oxygene eodem modo duram evadere et renitentem, ut corneam adipiscatur

7) HALLER elem. phys. vol. V. p. 38.

indolem! Viderint alii, congruat haec opinio cum ratione et experientia.

6.

Analogia insignis inter pilos vegetabilis et animales patet e locis, quae praeprimis pilis dotantur in homine: caput enim, mentum, axillae et pubes continuo magis calent et madent, quam reliquae partes: adfluxus humorum itaque copiosior est versus ea loca, unde ultra cutem omnino ii humores ferri possunt.

Hinc etiam pater, cur, dum puberes sunt homines, in genitalibus pili erumpant. Etenim copiosior tunc temporis et uberior adfluxus humorum, vim generandi producens, pilos eos quoque protrudit. Defectus praeterea pilorum circa eas partes cum sterilitate junctus esse solet.

Hinc etiam nutritio partium ubique cum pilorum libertate cohaeret. Quo copiosior ea actio, eo majus pilorum quoque incrementum, id vero eo minus, quo magis vires nutrientes labefactatae sunt.

Interest vero inter pilos animales et vegetabilis, quod hi manifesto cohaerere cum vasibus spiralibus et ductibus adfrentibus videantur, quod ipsi manifesto proprios humorum plantarum excernant. Id vero in animalibus pilis nunquam observatum est. Rationibus supputatis itaque animales pilis multo tenuiores esse videntur vegetabilibus, multoque minus cohaerere cum vitalibus organis. Vegetabilium pilis quoque in teneriore plantarum aetate ubiores potea pieruntq; e decidunt, quam planta, attractis per folia humoribus, radici

robur addere debeat, animales vero pili prius non oriantur,
quam nutritione ceterarum partium perfecta, ubi abundan-
tia humorum nutrientium iis evacuatur.

II.

VARIETATES PILORUM NATURALES.

7-

Insignis observatur differentia coloris, texturae, copiae
et longitudinis pilorum, prout et clima et victus ratio et
aliae res differunt.

Gentilitia primum adest capillorum diversitas, sive
colorem respicias, sive texturam, cuius praecipuas species
hic adferre placet:

a. Capilli nucei aut subfuscui coloris, ab altera parte in
flavedinem, ab altera in nigredinem abientes; molles iidem,
prolixi undulatimque flexi. Caucasiam varietatem vocant
varii. Frequentes sunt ii capilli in Europae temperatae
regionibus: frequentissimi fuerunt apud Germanos antiquos,
quos coma flava et immanes animis corporibusque fuisse
testantur TACITUS et POMPONIUS MELA.

Qui his gaudent capillis, iride coerulea, cyanea, azurea
aut caesia praediti esse solent. Idem testantur TACITUS et
JUVENALIS de Germanis antiquis:

Coerula quis stupuit Germani lumina;
flavam

Caesariem et madido torquentis cornua
cirrho?

Causa vero rutilae comae, quam in Germanis populis stupebant Romani, in victu omnino simplici, tum vero in frigidiori patriae nostrae olim climate querenda esse videtur. Etenim cibos simplices Germanis veteribus fuisse testatur TACITUS, recentem feram, agrestia poma, lac denique concretum comedisse, praetereaque cerevisiam bibisse, quae modicum praebebat nutrimentum et digestioni inserviebat.

Clima vero Germaniae veteris magnopere differebat a nostris temporibus. Infotmem dicit terris TACITUS, asperam coelo, tristem vultu aspectuque, in universum sylvis horridam aut paludibus foedam. Tarandi et alcae, quae hodie sub sexagesimo tantummodo latitudinis borealis gradu proveniunt, per totam Germaniam vagabantur, unde ad multo majorem frigoris gradum concludendum esse videtur ⁸⁾.

8.

b. Secunda varietas Mongolica dici potest, sive orientalis, quam tamen et in Americanis observamus. Nigri sunt his nationibus crines, rigidiores, recti et rari: deest ipsis barba, non natura, sed arte peculiari evulsa.

Orientalem dixi hanc varietatem, quin tribus americanae ex orientali Asia per insulas Aleuticas et novam Zealandiam videantur olim in Americam transmigrasse ⁹⁾. Eamdem quoque varietatem cum candiore cute animadvertisimus in variis Europae incolis, qui slavicae originis esse videntur.

Etenim

8) ZIMMERMANN's geograph. Gesch. des Menschen, Th. I. S. 55.

9) FORSTER'S Bemerk. auf seiner Reise um die Welt, S. 251. seq.

Etenim Slavi aut Sauromatae **PLINIO** dicuntur a Cimmerio accolae lacus Maeotidis ¹⁰⁾ , unde versus occidentem post Christum natum emigrarunt, totamque Europam vel subjugarunt vel mutarunt.

Exstant tamen etiam sparsim in aliis terrae regionibus homines, imo nationes, prolixa, nigra et rigida coma praediti, quod praesertim de Gallarum natione **BRUCIUS** testatur ¹¹⁾.

9.

c. Tertia varietas complectitur molliorem, cincinnatam, densam et uberem comae indolem, quam **Malaicam BLUMENBACHIUS** dixit ¹²⁾ . Eam fere per omnes oceani pacifici insulas observamus. In insulis societatis elegantem comam, nigram, cincinnatam, rarissime rutilam aut flavam: in nova Caledonia et Tanna similem comam, magis tamen crispam aut laneam, in Mallico vere crispam; in terra Magellanica crines rectos, rigidos et atros **FORSTERUS** observavit ¹³⁾ .

Id vero discriminem ita explicandum mihi esse videtur, quod insulae societatis ineolas olim acceperint ex oris Asiae meridionalibus, insulis Moluccanis et Philippinis; novae vero Hebridae, crista comae homines alentes, ex nova Hollandia et nova Guinea; terra denique Magellanica ex America ipsa.

¹⁰⁾ **PLINIUS** lib. VI. c. 7.

¹¹⁾ **BRUCE'S** Reisen zu den Quellen des Nils, B. H. S. 214.

¹²⁾ **BLUMENBACH** de generis humani variet. nativ. pag. 295.
(ed. 1795.)

¹³⁾ L. c. pag. 215. seqq.

Australis ergo Asiae incolae longe alia et pereleganter cincinnata coma praediti sunt, unde pacifici oceanii insulae eosdem incolas acceperunt.

d. Quarta deum varietas Aethiopica dici potest, quippe quae per Africam fere totam, novam Hollandiam et conterminas insulas dominatur. Crispa est his hominibus coma, quam vulgo ovinae lanae comparamus. Cave tamen, ne crispam comae indolem cum cincinnatis crinibus commutes. Aethiopum pili multo teneriores sunt, bulboque minutiori praediti, quam in aliis hominibus, maxime in iis, qui cincinnatos habent crines. Mulatti quoque, seu filii Aethiopum cum Europaeis genitorum, eamdem fervant crinium indolem. Raram tamen exceptionem rutilae comae in Mulatto vidit BLUMENBACHIUS¹⁴⁾.

Has varietates vero, praeter quas omnino nullae existere videntur, potissimum a climate, tum etiam a virtus ratione pendere, quivis facile dabit. Succus enim nutritius, quo radix pilorum scatet (§. 4.), differt pro differenti humorum adfluxu et varia aëris temperie. Quo calidius est clima, eo nigriores apparent comae, eumque retinent colorem, etiam si incolae in frigidiores regiones migraverint. Hinc Sauromatae, seu Slavi versus occidentem ante plura fecula propulsi, hinc Mongoli, qui totam Americanam colunt,

¹⁴⁾ L. c. pag. 169.

—

ad frigidissima usque extrema et australia et borealia eum-
dem colorem retinent.

Praesertim vero, quantopere aëris temperies agat in
pilorum colorem, elucet e mutatione coloris, quam animalia
septentrionalia subeunt, dum aestivum magis saturatum colo-
rem hyeme in album mutant, aut gryscum. Mustelae her-
minei, emberizae nivales, lepores, sciuri, rangiferi, tetraco-
nes, lagopi hyeme potissimum candidum adipiscuntur colo-
rem¹⁵⁾. Ipse jam ARISTOTELES, summus antiquis tempo-
ribus naturae scrutator, id observavit. „Per adfectus,
inquit, temporarios, quoties frigora urgent acriora, pennae
volucrum unicolores interdum e nigris aut nigriusculis albi-
disve in albas transeunt, ut corvi, passeris, hirundinis. Cu-
jus rei contrarium, ut quidquam ex genere albo veniret in
nigrum, nunquam vixum est¹⁶⁾.“

Non sine ratione is color cum temperie aëris cohaerere
videtur. Aestu enim accenso, humores singulari quadam
impetu versus cutem pelluntur: partes humorum ingrédien-
tes multo magis concentrati sunt ac saturatum magis colorem
producere debent. Dum vero frigore reprimuntur tumores,
pili iis destituantur, non nisi serosi superfunt aut phlegmatici
humores, qui album potius aut candidum pilis impertinent
colorem.

B 2

15) LINNAEI flor. Lappon. pag. 55. 352.

16) ARISTOTELIS hist. anim. lib. III. c. 12, pag. 887, ed. PAC.

Maxime deinde vulgari et quotidiana constat observatione, quantopere victus ratio et corporis constitutio agere in pilorum colorem possint. ARISTOTELES narrat¹⁷⁾, aquas multis in locis esse, quas cum oves biberint, moxque inierint, nigros generent agnos, ut in terra Assyritide agri Chal-eidici Thraciae faciat amnis, quem prae nimia frigiditate Υψηλὸν vocent. Et in Antandria quoque fluvios esse, quorum alter candorem, alter nigritatem pecoribus faciat. Scamander etiam amnis flavas reddere oves creditur, quam ob rem ξενθόν pro Scamandro ab Homero nuncupatum autumant¹⁸⁾.

Dum fame continua torquentur aut pessimis cibis nutruntur homines, pili canescere solent. Canescunt etiam subito nonnunquam, dum terrore aut metu valido obstupuerunt. Id ARISTOTELES jam animadvertisit, optimeque inde efficit, ariditate nimia haudquaquam canitiem oriri posse. Observatum est, inquit COELIUS RHODIGINUS, „pilos quandoque horae spatio, aut etiam minore, canos fieri¹⁹⁾.“ Et alio loco: „Non aegritudine solum incanescere hominem contigit, verum etiam repentina mortis discrimine. Quod evenisse, compertum est cuidam e rupe pendenti, dum accipitrum pullos scrutaretur, interimque funes, quibus sustinebatur, disfiluissent²⁰⁾.“

17) L. c.

18) ARISTOTELES I. c.

19) Antiqu. lect. lib. III. c. 14.

20) Ib. lib. XIII. c. 27.

Juvenes saepius subito canos reddi, eleganter jamjam
PINDARUS his versibus expressit²¹⁾:

Φύονται δὲ καὶ νέοις
ἐν αὐδέσσι πολιαῖ
Σαρκά, καὶ παξά τὸν ἀλιμίας
ἔσποτα χρόνον.

Puerum quemdam ex magno terrore subito canum effectum vidit NICOLAUS FLORENTINUS²²⁾. Hispanus quidam, nomine Diegus Oforius, aulicae puellae amore captus, communicato prius cum ea consilio, in patula arbore et frondosa fese absconderat; interim fortuito catelli latratu prodita colloquii fides satellitum manibus illum objecit. Comprehensus carcerique inclusus, quod capitale fuerat illuc deprehendi, dictata ultima sententia ita inhorruit, ut nox unica juvenem eudem et senem canum viderit. Quo spectaculo motus carcerarius, delato ad Ferdinandum Catholicum prodigiae rei indicio, effecit ut capitalis legis rigore in benignitatem converso rex illum absolverit, dictitans, poenarum satis dedisse, qui præmaturam senectutem cum juvenae flore commutasset²³⁾.

Similis est historia juvenis aulici, qui virginis cuiusdam pudicitia expugnata in carcere conjectus est, postridie plectendus capite: nam id rigide observare solent, ne quis impune tale quiddam attentare audeat. Qum autem ea nocte taedio ac moerore conficeretur, ex angore mentis concepta-

21) Olymp. Δ. 39.

22) Serm. 7. tract. 6. summ. 3. c. 24.

23) SCHENCK observ. lib. I. pag. 2.

que mortis formidine ita immutatus est, ut sequenti die, dum pro tribunal consisteret, a nemine eorum, quibuscum familiariter vixerat, ne a Caesare quidem, agnosci potuerit. Indecora enim canities cum foedo vultu eum penitus deformat erat^{24).} Plures ejusmodi historias narrant SCHENCKIUS, BORELLUS²⁵⁾ et TURNERUS^{26).}

Rara est observatio; virides fieri crines a metalli vaporibus, e. g. in cupri fodinis et fabricis, quod testatur praeter alias BARTHOLINUS^{27).}

Solum infuper aetatis incrementum et senectus canitiem fere semper comitem habet. Sicut enim e terrore potest reprimi succus nutritius proprius e pilorum bulbis, ut filia nuda et cana conspiciantur, ita defectus nutritionis in decrepita senectute vitreos facit et pellucidos. Quod dum sit, oculorum color etiam magis caesius fieri solet. Ita recens quoque nati, qui postea atros aut fuscos saltē capillos accipiunt, primis a nativitate mensibus aut annis rutilam sive flavam comam habere solent.

Bene ARISTOTELES jamjam observavit, in canitie senilis tectos prius capillos canescere quam apertos, tempora quoque citius et partes primores quam posteriorem capitis partem: pubem vero novissime canescere.

24) Ib.

25) Observ. cent. I. observ. 26. pag. 35.

26) L. c. u. pag. 885.

27) Cent. I. observ. 40. pag. 65, 66.

Denique temperamentum omnino ita consentit cum pilorum colore, ut ex hoc, qualenam sit illud, judicare multi audeant. Albos capillos cum laxo temperamento, atros cum rigido cohaerere, eequis est qui negaverit, cum observatum fuerit, in ergastris et morodochiis multo plures esse atra coma horridos, quam alio pilorum colore instructos²⁸⁾,

14.

A colore pilorum ad numerum eorum et vel nimiam copiam vel defectum transeo.

Uti enim in universum homo glabra magis et laevi cute conspicuus est, ita exstant historiae plures de nationibus hirsutis, quae pilosa undique cute magis ad simiarum genus accedant. Habitari Kuriles insulas australes ab ejusmodi hominibus SPANGBERGII retulit²⁹⁾, ipseque BLUMENBACHUS testimonium adfert FORSTERI de hominibus hirsutis novas Hebridas habitantibus. Neque tamen hic simile quid unquam narravit, neque procul a fabula abest SPANGBERGII relatio. Ideoque totam illam traditionem de hirsutis nationibus, tanquam precariam et fictitiam mittamus, licet satis exploratum nobis sit, quandoque inveniri singulos homines natura magis hirsutos, vel feminas barba horridas.

Vidit Thomas BARTHOLINUS Hafniae et in Belgio puellam, sex annos natam, quae toto corpore pilos canticantes gerebat³⁰⁾.

28) BLUMENBACH I. c. p. 105.

29) BLUMENBACH I. c. p. 29.

30) Cent. I. obsf. 42. p. 68.

Barbam mulieribus succrescere, maxime postquam menstrua deficere coepерunt, adeo vulgare est, ut in quavis civitate plures ejusmodi Amazonas conficerem posse. Videlicet idem in Caricis sacerdotibus ARISTOTELES³¹⁾. Cohædere ejusmodi barbam cum rigido habitu et atrabilario temperamento, vel inde patet, quod eadem virágines atris capillis semper insignitae sunt, quod mansuetudine fere et modestia carere solent, quae sexum sequiorem alioquin decorat.

Defectus pilorum naturalis nonnunquam est. Steriles tamen esse, qui non pubescant, ARISTOTELES jam monuit³²⁾. Nullo praegresso morbo quemdam pilos per omnem corporis ambitum amisisse testatur HEISTERUS, nec intra decem annos recuperasse³³⁾. In muto quodam, qui tamen surdus non erat, calvitiem naturalem per universum corpus animadvertisit VALSALVA, neque organa generationis quidquam morbosum ostenderunt³⁴⁾.

Deinde barba in nonnullis nationibus penitus deesse creditur, praeprimis in Americanis. Testimoniis plurimis BLUMENBACHIUS olim confirmavit³⁵⁾, tum per universam Ameri-

31) L. c. p. 886.

32) L. c.

33) Eph. nat. cur. cent. I. 2. obs. 197.

34) MORGAGNI de sed. et causs. morb. ep. XLVI. n. 1.

35) Götting. Magaz. J. 2. Th. VI. S. 419.

Americam, ab Eskimotis inde ad incolas Terrae del fuego dari incolarum tribus, quae utique barbam alunt, tum vero de ceteris imberibus certo certius constare, quod studio et artificiis eamdem sibi eradicent et evellant, eundem in modum, qui et apud alias orientalis Asiae gentes, Mongolicas³⁶⁾ in primis et Malaicas³⁷⁾, invaluit.

Tenuem et raram utique Americanis et novarum Hebridum incolis barbam esse aequa ac tot Mongolicis nationibus, omnes novimus. Ideo autem non majori jure imberbes vocarentur, quam si rasipilos homines plane calvos appellareret. Qui ergo natura sua imberbes putarunt Americanos, in eundem inciderunt errorem, qui veteres induxit, ut aves paradiseas, quarum exuvia pedes abscondi solent, natura sua apodes esse sibi aliisque persuaderent³⁸⁾.

16.

Defluere capillos naturalibus cauissis, nempe aestate decrepita, satis vulgare est. Nutritione enim deficiente, ea etiam medulla, quae bulbos pilorum adgreditur, deest, unde ipsae radices pilorum arescunt et pili tandem delabuntur. Inter eos, qui calvescant, nec eunuchos nec spadones unquam esse, Hippocratica schola credidit, quum hi nec vehementius moveantur, nec phlegma in coitu incalescens pilorum radices exurat: namque qui calvescant, eos fane phleg-

36) GMELENS Reise durch Sibirien, Th. II. S. 125. — HERDERS Ideen zur Philosoph. der Gesch. des Mench., Th. II. S. 67.

37) FORSTERS Bemerk. S. 211. 212.

38) BLUMENZACH de gener. human. variet. nat. p. 313.

mate redundare, quod per coitum in eorum capite agitatum et incalescens, in summam cuticulam illapsum, pilorum radices exurat, ita ut pili effluant ³⁹⁾.

Id quidem ratiocinium nostrorum temporum suffragia ferre nequit. Melius vero inde derivanda est haec observatio, quod eunuchi caussam unam minus admittant, quam alii, qua debilitari nutritio possit. Obesi enim fere semper eunuchi sunt, quod abundantia humorum semine non effundatur. Hinc itaque capillorum defectu non facile laborant, quippe qui nutritionem labefactatam sequitur.

Libidinosos prius calvescere, quotidie observamus, quod multo majorem succi nutritii copiam amittant. Id ARISTOTELES bene jam observavit, neque tamen cum veritate congruere videtur, quod animadvertisit, principes nimirum partes capillitii prius calvas reddi quam posteriores. Etenim et has saepius videmus multo citius calvescere illis.

17.

Arrigi capillos in affectibus vehementibus, jamdiu observatum est. Celebres sunt VIRGILII versus ⁴⁰⁾:

Tum vero ancipiti mentem formidine
pressus

Obstupuit, steteruntque comae et vox
faucibus haesit.

Ea erectio capillorum in iis animalibus multo manifestius conspicitur, quae musculo cutaneo instructa sunt, e.g.

39) Hipp. aphor. VI. 28. de nat. puer. n. 18. 19.

40) Aen. III. 47. 48.

feles et canes. In hominibus vero muscularum ope sub cute positorum, qui formidine aut terrore concutiuntur, erectio capillorum fieri videtur, cum, licet radices pilorum tela cellulari praeprimis fixae sint, musculi suppositi tamen constringere adeoque arrigere capillos possint.

18.

Texturae pilorum exstant varietates plures. Atri enim fere semper rigidiores, molliores autem et fere fericei fulvi aut albi esse solent. Rigidiores sunt, qui in pube proveniunt, molliores in capite.

Clima insignem habere efficaciam ad texturam pilorum mutandam, vel inde patet, quod Tibetanarum ovium lana mollissima, Aethiopicarum rigida, suum Normannicarum fetae adeo molles sint, ut nec scopolis inservire possint. Aethiopica ovis, camelini pili similem lanam gerens, postquam per annum in Anglia degisset, nobilissimam nacta est lanae teneritudinem⁴¹⁾.

III.

VARIETATES PILORUM PRAETER NATURALES.

19.

Pilorum numerus ceteraque proprietates cum nutritione cohaerentes vario modo in morbis laborare possunt. Simul ac enim nutritio praeter naturam vel augetur vel minuitur, pilorum quoque generatio, numerus et color inde mutantur.

C 2

41) BLUMENB. I. c. p. 95.

Maxime peculiare hujus exemplum praebent pilis portentosis fere, qui intra sfeatomata aut atheromata, praesertim partium pudendarum aut ovariorum muliebrium nascuntur. Subinde enim his tumoribus adeo deformantur ovaria, ut nullo modo functiones suas exercere possint. Graviditas nonnunquam initio suspicitur, donec cachexia accedit, quae tandem aegram praecepit. In ejusmodi tumoribus ovariorum pilorum nodi aut glomera plurima inveniuntur.

Ita SCHACHERUS mulieris, quae grava habebatur, cadaver fecit, cuius vastissimum ovarium dextrum tunica satis crassa cingebatur. Vesicae in modum haec extensa formabat amplam cavitatem, qua multa adeps et pilorum insignis copia continebatur. Capitis pilis ii paullo tenuiores, contortuplicati pingue substantiam perreptabant. Octo pollices longi erant. Ex interna tunicae superficie prodibant, in adipem sese immersentes. Combusti eundem, quem alii, foetorem edebant. Simplex pilus, oculo armato conspicus, pluribus aliis componebatur 42).

Saepius quoque observatum est, cum pilis his similes dentes et molares, et incisivos et caninos juncos fuisse, qui pariter tunicae externae firmiter adhaerebant 43).

Praeter ovarium etiam aliae partes atheromatibus ejusmodi pilosis obnoxiae sunt, licet id paullo rarius contingat.

Primus

42) SCHACHER IN HALLER diff. pract. vol. IV. p. 477.

43) BAILLIE's Anatomie des krankh. Baues, S. 230. — GOOCH in Edinb. Comment. B, II, S. 369.

Primus omnino CELSUS animadvertisit, in bronchoeles tumore includi saepius praeter minuta ossicula pilorum copiam ⁴⁴⁾. In folliculo prope renes eandem pilorum copiam confexxit VALLISNERIUS ⁴⁵⁾. In carne bubula folliculum pilis intricatis repletum invenit Thomas BARTHOLINUS ⁴⁶⁾. In omento RUTSCHIUS ⁴⁷⁾, prope hepar alii ⁴⁸⁾ similia aetheromata piligera repererunt.

21.

Quanam ratione explicanda sit haec pilorum praeter-naturalis generatio, jure hodiernum ambigitur. Quod in ovariis et genitalibus plerumque inveniantur, indicare vide-tur, similem fieri processum ac in generatione ipsa. Neque tamen inde quisquam efficere audeat, conceptionem pree-gressam, atque foetum imperfectum generatum esse. Etenim exploratum habemus, BAILLII in primis et SÖMMERRINGI observationibus, sive intactas virgines, sive mulieres, quae concipere plane nequiverant, iis pilosis tumoribus obnoxias esse. Quodsi insuper in aliis partibus et apud ipsos viros observati fuerunt similis omnino tumores piligeri, dubium nullum supereft, singularem adesse materiei animalis muta-tionem, qua adiposa massa in pilorum fila produci possit.

44) CELSUS lib. VII. c. 13.

45) Della generazione, pag. 60.

46) Act. Hafniens. vol. II. pag. 140.

47) Thesaur. anat. III. n. 63.

48) Fräck. Anmerk. Th. III. S. 66.

22.

Calvities et canities morbis variis, qui nutritionem labe-
factant et secretionem praesertim cutaneam corrumpunt, pro-
ducuntur. Leprosi maxime affectus eas varietates pilorum
generant.

Albinorum morbus pilos ita deformat, ut caprinis
similes lacteum colorem vel lurido-rutilum adipiscantur.
Tota cutis tenuissima pube et mollissima albida obtegitur,
qua candor cutis magis augetur. Cilia et supercilia eundem
nanciscuntur lacteum colorem. Iris autem simul pallide ru-
bet et pupilla saturate rubra conspicitur. Simul solet con-
tinuo oscillare pupilla ac convulvis velut motibus agitari,
aegerque ipse nyctalopia patitur ⁴⁹⁾.

Ii homines, vere aegri, incolunt torridam Americae
zonam, maxime Dariam et Guianam, nonnunquam tamen
in insulis oceani pacifici et in ipsa Sabaudia visi sunt. BLU-
MENEACHII vero et SPRENGELII argumentis satis elucet,
leucaethiopiam hance verum morbum leprosum esse.

23.

In serpigne et impetigine leprosa calvities cutis oritur,
subnascuntur saepius pili graciles, lanaeformes et candidi,
quod leprosa constitutionis certum criterium olim habe-
batur ⁵⁰⁾. In morpha quoque pili mutant colorem, et vel
albidi fiunt in alba morpha, vel fusci in fusca ⁵¹⁾.

49) SPRENGELS Pathologie, Th. III. §. 934.

50) HENSLER vom Auslitz, S. 59.

51) SPRENGEL I. c. §. 919.

Alopecia insignem praeterea designat statum leprosum, quem caute a calvitie veteres distinguunt.

Saepius absque vitio cutis apparente nascebatur. Plerumque vero cutis prius erat tensa, scissa, magis albida aut fusca, quam in statu naturali. Tenuiores siebant capitum pili, rarius et *dryxodusus*: manifesto apparebat, evulsum pilorum radicem esse exesam, ulcerosam et corruptam. Paullatim quoque semper pilorum defluxus observabatur. Cum his vitiis crustae cutaneae aut furfures jungebantur, quibus cutis foedabatur⁵²⁾.

Area am vocat id *vitium CELSUS*, quod ad areas, seu maculas circulares, propagabatur⁵³⁾.

Cum hac alopecia congruit mentagra Romanorum veterum, quam *PLINIUS* disertis verbis describit⁵⁴⁾. Non fuerat haec iues apud antiquos. Et primum Tiberii Claudi Caesaris principatu medio irrepit in Italiam, quodam Perusino Equite Romano Quaedtorio scriba, cum in *Asia* apparuisse, inde contagionem ejus importante. Nec sensere id malum feminae, aut servitia plebsque humilis aut media; sed proceres veloci transitu osculi maxime: foediore multorum, qui perpeti medicinam toleraverant, cicatrice quam morbo. Causticis namque curabatur, ni usque in ossa corpus exustum esset, rebellante taedio.

D 2

52) HENSLER l. c. pag. 64.

53) CELS. lib. VI c. 4.

54) PLIN, lib. XXVI. c. 1.

Ad ultimam propero morbosam pilorum varietatem, quam in trichomate seu plica polonica observamus. In hoc quidem morbo singularis adfluxus humorum gelatinosorum versus caput eisque integumenta adeat, qui vel ex sudoribus foetidis, et ex adfluxu ceruminis copioso cognoscitur. Ab iis humoribus expanduntur bulbi et radices pilorum, pili producuntur, humores protruduntur ex ipsis tumidis pilis, ut continuo foetida gelatina madeant et cohaerant.

Ita pili eriam concrescent et contorti plicantur, ut nullo modo extricari possint.

Opinio autem, quod resecari nequeant eae plicae absque summa et sanitatis et vitae ipsius noxa, nuperis observationibus haudquam confirmatur. Negari quidem nequit, metastasis humorum glutinosorum versus capillitum penitus reprimi non posse sine sanitatis detrimento. Ideoque noxiū esset, plicam penitus ad radicem rescindere. Nonne autem partim ac paullatim ab apicibus pilorum resecanda est? Id omnino videtur, cum testes nuperos plures adducere possim, qui resectionem eam tentaverunt.

THESES.

1. Vis vegetationis animalium omnium ipsorum facile princeps.
2. Ipsi episiae causa proxima in cerebro quaerenda est.
3. Crines omnino vauis et nervis carent.
4. Lunae influxus in morbos quodam negari non potest.
5. Vermium signa non existunt pathognomonica.
6. Morborum classificatio secundum causas remotas falsa est.

Halle, Disc, 1795/1800



Sl.

vel 18

B.I.G.

Farbkarte #13



D E
**VARIETATIBUS PILORUM
NATURALIBUS**

E T
P R A E T E R N A T U R A L I B U S ,

U T
**C O N S E N S U F A C U L T A T I S M E D I C A E
H A L E N S I S ,**

U T
G R A D U M D O C T O R I S M E D I C I

L E G I T I M E A C Q U I R A T ,

D I E X V I I . S E P T E M B R I S M D C C C I C .

P U B L I C E D I S P U T A B I T

*J O A N N E S F R I D E R I C U S P F A A F F ,
S I L E S I U S ,
S O C I E T . S Y D E N H A M . S O D A L I S .*

*H A L A E ,
T Y P I S B A T H E A N I S .*

1799

DFG